

Glossa.

Tristi casu litteris amicisque nuper erepti Gustavi Loewii
incido in glossematica quaedam ipso mense fatali edita in Franco-
gallorum repertorio quod 'revue de philologie' appellatum duo-
viri O. Riemann et Em. Chatelain curant (nouvelle série année
et tome VII 4 livraison. 31 Décembre 1883). ibi p. 198 vir ille
doctus atque ingeniosus hanc ex libris Vaticanis 1468. 1469 et
Casin. 90. 218 glossam protulit: '*Cludidenus: imperitus*', *cluden-*
dinus in Vat. 1468, *cludidemus* vel *cludidenius* in Casin. 90 legi
testatus. ascito autem ex Gellii n. a. XVI 12, 3 *elucus* vocabulo
quamvis dubitanter hanc proposuit emendationem: *eluci plenus,*
imperitus. recte fecit modestissimus vir quod addidit haec: 'au-
daciuscula mutatio si cui minus placuerit non obloquar: meliorem
tamen rogo ut proferat'. ad Iuvenalis nimirum notissima I 80:
'facit indignatio versum, qualecumque potest, quales ego vel
Cluvienus' pertinet glossa sic emendanda: '*Cluvienus, imperitus*'.
cf. schol.: '*Cluvienus: delirus poeta vel indoctus*'. atque in ipso
textu poetae miseri nomen Vindobonensis codex *Cluvidenus* ex-
hibet; nec indignum memoria quod eadem nominis forma reddit
apud Ennodium, qui in praefatione ad carm. I 7 ad Iuvenalis
locum his adlusat: 'ad Camenalem tamen ignominiam, quibus num-
quam *Glividenus* deest, versus adieci et periturae, ut dictum est,
cartae prodigus non pepercis'. sic enim nunc legitur in editione
accuratissima Guilelmi Hartel, qui ex optimis partim et anti-
quissimis codicibus varias lectiones prompsit *gluividinus* et *gludi-*
uinus: Cluvienum olim Iuvenalis memor corrigi iussit Gronovius.
denique Ethici libros a glossatoribus diligenter excerptos fuisse
quis nescit?

L.

O. R.